

lustrior esset omnibus huius caeci fides et obedientia, nihil detrectantis eorum quae a Christo iubebantur, et ut novitas spectaculi, et mora longioris itineris plures miraculi testes evocaret. D. Angelicus addit adhuc aliam causam, scilicet ut confutetur iudaeorum durities: *nam oportebat*, inquit, hunc caecum videntem ad natatoria Siloë transire civitatem, ut sic omnes viderent eundem caecum euntem, lutum super oculos habentem et redeuntem, visu suo restitutum.

AD TERTIUM. Negari non potest, incredibile omnino videri debere Ioannis narrationem, si ille mirabilem illam hominis a nativitate caeci curationem aut ad sputum luto commixtum, aut ad quaslibet alias vires naturales referret; sed sicut alia Christi prodigiosa facta, sic etiam hoc divinae Iesu Christi virtuti adscribit, utpote quem non semel verum Deum esse profitetur, et Divinitatem suam miraculis confirmasse, non uno in loco (1) testatur.

AD QUARTUM dico, Woolstonum sine omni ratione aliquid asserere, de quo nec minimam habere potest coniecturam; certe pharisaei rem hanc examinarunt, quin ullum adhibiti arcani remedii vestigium vel a longe deprehenderint. Dein, numquid inveteratum adeo malum, quale est caecitas a nativitate existens, unico balsami affricu tam cito sanari potuisset? Aut cur demum

(1) Sic Ioan. c. 5. v. 86. Christus ad Iudaeos ait: *Ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Vide etiam Ioan. cap. 14, v. 11 et 12, cap. 10, v. 57, 58, cap. 11, v. 4, cap. 15, v. 24.

(2) Matth. c. 8, v. 15.

(3) Vide praeced. n. 85 ad tertium.

(4) Sic Christus primo homini caeco atque muto, Matth. c. 12, v. 22, nulla facta mentione adhibitorum remediorum, usum oculorum simul et linguae contulit. Secundo apud eundem Matthaeum, c. 8,

Christus balsamo opus habuisset, qui et absentem centurionis paralyticum puerum sanavit (2), et alios praesentes sola voce in pristinam sanitatem restituit? ut in sequenti scholio mox videbimus.

84. SCHOLIUM. Quod singulari divinae providentiae consilio plerisque incredulis accidit, ut sibi frequenter contradicant, et sine cohaerentia doctrinae loquantur, id etiam in impugnandis Christi miraculis Woolstono contigit. Nam curationem hominis a nativitate caeci Ioan. cap. 9, negat fuisse vere miraculosam ex ea ratione, quia Christus in sanatione huius caeci humanis, ut ait, usus est remediis; et simul tamen ipse fatetur, lutum sputo commixtum potius ad inducendam, quam ad depellendam caecitatem conducere (3). Praeterea disertis verbis fatetur, quod sanationi hominis a nativitate caeci ratio miraculi conveniret, si illa sine aliis remediis sola Christi voce fuisset peracta. Omnes igitur illos effectus (si consequentiam doctrinae servare velit) tanquam vere miraculosos debet admittere, quos Christus solo vocis suae imperio produxit, cuiusmodi non pauci ab evangelistis recensentur (4). Quomodo vero Woolstonus poterit facultatem vera patranda miracula concedere Christo, hoc est, illi, quem ceu callidum impostorem in factis ab ipso editis toties et tam impudenter traducit? En! turpes et

v. 15. Christus absens paralyticum Centurionis puerum sanavit, et ibidem, v. 26, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Tertio, apud Marcum c. 10, v. 52. Christus solo verbo suo facultatem videndi caeco Bartimaeo, tribuit. Quarto. Apud Luc. c. 6, v. 10. homini, qui manum habebat aridam, dixit Christus: *Extende manum tuam, et extendit: et restituta est manus eius.* Quinto, apud Ioannem, c. 11, v. 43 et 44. Christus voce magna clamavit: *Lazare, veni foras; et statim prodit, qui fuerat mortuus.*

manifestas contradictiones hominis increduli et impii.

85. QUÆRES XXI. *An resuscitatio Lazari mortui* (Ioan. cap. 11). fuerit vere miraculosa? R. Affirmative. Nam quidquid in contrarium opponunt, Woolstonus, Horus, Rousseau, aliique increduli, sunt mera commenta, absque ullo probabili argumento conficta; prout ex dicendis patebit.

I. Itaque larvatus Horus (1) hanc resuscitationem nihil aliud fuisse comminiscitur, quam fraudulentam comoediam a Lazaro ac huius sororibus Maria et Martha ex condito adornatam, ut sic Christo specialem favorem exhiberent, aut eidem eximiam aestimationem et auctoritatem conciliarent, tanquam viro thaumaturgo, qui hominem iam quatuor diebus mortuum ad vitam revocasset. Horo autem hac in fabula construenda Woolstonus faciem praetulit, qui pariter omnes circumstantias resuscitationis Lazari, prout a s. Joanne referuntur, de fraude et impostura suspectas habet. Verum nullum prorsus est probabile fundamentum huius suspicionis. Quis enim credat, Lazarum permisisse ligari pedes et manus suas instillis; faciem vero involvi sudario, sicque se in spelunca, lapide superimposito per quadriduum includi (2), ea de causa, ut malitiosi impostoris, aut fanatici hominis auctoritatem tanquam viri thaumaturgi promoveat?

86. Sed INSTANT Woolstonus (3) et Horus (4) ac quaestionem movent: Cur Matthaeus, Marcus et

(1) In impio opere germanico, cui titulus latine: Horus seu Astrognosticum iudicium super Iesum, et eius discipulos, pag. 565-566.

(2) Vide cl. Thomam Cerboni, Theol. revelat. tom. 2, l. 5, q. 1, art. 2, § 2, n. 10.

(3) Vide cl. Thomam Cerboni, loc. cit.

Lucas, qui suum evangelium ante Ioannem scripserunt, de miraculo resuscitati a morte Lazari altum sileant, cum tamen hoc miraculum, si revera factum fuisset, unum ex praeclarissimis foret, et memorati evangelistae sibi id proposuerint, ut Christi gloria et potentia toti mundo manifestaretur? Numquid hic fraus latet, dum tacentibus prioribus evangelistis de resurrectione Lazari, solus Ioannes et in extrema senectute sua, et post mortem eorum, qui huius resurrectionis testes esse potuerunt, eandem publicavit? R. Falsum omnino est, ut num. 76 dixi, fidem alicuius auctoris ea solum de causa suspectam reddi, quia aliqua facta commemorat, quae alii eadem de re scribentes omiserunt; alias enim pauci ad modum scriptores, seu sacri, seu profani, darentur, qui omnem mereantur fidem. Tunc igitur suspicioni locus esse potest, si illi, qui de eadem re scripserunt, omnia exacte narrasse se testentur; huiusmodi autem assertionem in nullo ex tribus illis prioribus evangelistis reperire est. Quamvis enim multa de Christo distincte referant, non pauca tamen de factis ipsius generatim tantum indicant; ut videre est in evangelio Matthaei (5), Marci (6) et Lucae (7). Accedit, quod Ioannem peculiare rationes potuerint inducere, ut miraculum resuscitati Lazari, quod alii evangelistae omiserunt, specialiter referret. Atque probabiles eiusmodi rationes commemorat in bibliotheca britannica (8) auctor Observationum in caput unde-

(4) Loc. cit. p. 539.

(5) Cap. 8, v. 16, c. 9, v. 55, c. 14, v. 14.

(6) Cap. 4, v. 54, c. 5, v. 10, c. 6, v. 56.

(7) Cap. 4, v. 40, c. 7, v. 21.

(8) Bib. 40, 21, p. 1, art. 4.

cimum s. Ioannis, ubi hanc, de qua agimus, Woolstoni obiectionem refutat. Una ex his rationibus est, quia eo tempore, quo tres priores evangelistae scripserunt, erat certa et pervulgata huius miraculi notitia apud omnes iudaeos; illud enim patratum est a Christo coram multis, qui etiam ex Ierosolyma, a qua Bethania non distabat nisi quasi stadiis quindecim (1), venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas, et qui cum id viderint, crediderunt in eum (2), et adhuc cum ipso Lazaro in vivis erant. Cum autem tempore s. Ioannis iam senis huius miraculi, aut saltem circumstantiarum id comitantium memoria paulatim intercideret, illud cum adiunctis suis idem s. evangelista divinitus inspiratus litteris consignavit. Altera ratio, cur alii evangelistae de hoc miraculo siluerint, verisimiliter erat impotens furor principum sacerdotum et pharisaeorum contra eos, qui de hoc miraculo, quo divina missio Iesu Christi manifeste demonstrata est (3), cum admiratione loquebantur. Certe magnitudo huius miraculi adeo perstrinxit lividos illorum Christi osorum oculos, ut cogitaverint Iesum interficere (4), imo (5): Cogitaverunt... principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent. Porro additur adhuc alia ratio cur s. Ioannes de miraculo Lazari specialem mentionem fecerit; quia nimirum s. hic evangelista ad conscribendum evangelium suum ex eo potissimum motivo permotus est, ut haereticos, qui sua iam aetate divinitatem Christi negabant, confutaret; prout tum ea, quae ab initio evangelii sui exaravit, aperte

(1) Ioan. c. 11, v. 18. (2) Ibid.

(3) Vide supra sect. 2, n. 50.

(4) Ioan. c. 11, v. 53.

(5) Ioan. c. 12, v. 10.

commonstrant, tum etiam ss. patres, s. Hieronymus (6), s. Epiphanius (7), et auctor praefationis ad tract. 124 s. Augustini in Ioannem observant. Atqui nihil divinitatem Christi, et divinam eius missionem magis luculenter ostendit, quam insignia illa ab eo patrata miracula ad quae ipse, ut divinitatem suam, ac divinam missionem suam probaret, provocavit: sed inter haec miracula indubitate est etiam illud de resuscitato a mortuis Lazaro ut iam alibi (8) ostendimus.

87. Sed INSTAT ulterius Woolstonus, et in resuscitatione Lazari fraudem intercessisse suspicatur, quia iudaei, audito hoc miraculo, tanto furore contra Iesum et Lazarum insurrexerunt, ut eos occidere cogitarent, verisimiliter ob imposturam in hac resuscitatione detectam; quae suspicio inde confirmatur, quia Christus post patratum hoc miraculum iam non in palam ambulabat apud iudaeos, sed aufugit in Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Et dico, vanam et impiam esse hanc Woolstoni suspitionem. Nam s. Chrysostomus (9) non unam dumtaxat rationem affert, cur hoc miraculo non fide, sed vere patrato, contra Lazarum, atque Christum animi iudaeorum tantopere incitati fuerint. Atqui, inquit laudatus s. pater, multa signa fecerat Iesus, sed nullum eos (iudaeos) ita efferaverat, non paralyticus, non caecus curati. Hoc enim (miraculum Lazari resuscitati) natura admirabilius erat, et post multa factum, et mirandum erat mortuum quatrduanum ambulantem et loquentem videre....

(6) De viris illustr. c. 9.

(7) L. 2, adversus Haeres. haeres. 51.

(8) Vide supra sect. 2, n. 50.

(9) Homil. 66 in Ioan. alias homil. 65.

Praeterea illic (ob paralyticum in die sabbati ad probaticam piscinam Ioan. c. 5 sanatum, et ob caecum a nativitate Ioan. c. 9 pariter sabbato illuminatum) de violato sabbato accusabant eum (Christum)... hic vero quia nihil poterant criminis asserere, contra suscitatum machinantur. Neque poterant hic dicere, ipsum (Christum) esse Patri adversarium; precatio enim (quam Ioan. c. 11, v. 41 et 42 ante resuscitationem Lazari ad Patrem divinum fundebat) cohibebat illos. Quoniam igitur sublata erat assidua illa accusandi materia, signum conspicuum erat, adcaedem feruntur. Verum ut utar s. Augustini (1) verbis: O stulta cogitatio, et caeca saevitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem?

Cum autem tempus passionis nondum advenisset, ideo mirandum non est, quod Christus post patratum hoc miraculum a iudaeis se subtraxerit, et abierit in regionem iuxta desertum, in civitatem, quae dicitur Ephrem, ne a iudaeis caperetur. Falsissimum autem est, quod propter imposturam in resuscitando Lazaro commissam, et detectam aufugerit; ut Woolstonus impie suspicatur. Numquid enim Christus post non multos dies e civitate Ephrem Bethaniam rursus rediit (2), ubi Lazarus fuerat mortuus? Nonne ibi una cum Lazaro simul coenavit (3)? Nonne cognovit turba multa, quia illic est: et venerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis (4)? Nonne turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audis-

(1) Ad finem tract. 50 in Ioan. c. 12.

(2) Ioan. c. 12, v. 1.

(3) Ibid. v. 2.

sent, quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel... Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam ei venit turba: quia audierunt, eum fecisse hoc signum. Solum ergo Woolstonus adeo impudens erat, ut affirmare auderet, Christum in civitatem Ephrem aufugisse ea de causa, quod impostura, quam in resuscitationem Lazari adhibuisset, detecta fuerit.

88. COROLLARIUM. Causa, cur principes Sacerdotum non crediderint in Christum, post patrata ab eo tanta miracula, ex. gr. illuminati hominis a nativitate caeci, Lazari a mortuis revocati, etc., non erat, quia horum miraculorum veritas merito erat suspecta, sed invidia de Christi gloria propter haec ipsa miracula, ex qua sibi et rebus suis quam maxime timebant. Unde post Lazarum a Christo resuscitatum dixere (5): Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

89. Postquam Woolstonum et Horum, qui resuscitationem Lazari fuisse factum fraudulentum suspicantur, refutavimus, agendum iam contra famosum Rousseau, qui hoc miraculum alio ex capite impugnat. Contendit, in hoc prodigio apparenter tali omnia contigisse naturaliter. Lazarus, inquit, non erat quidem mortuus, sed tamen sensibus vere destitutus: Iesus autem, dum voce magna clamavit: Lazare, veni foras (6), hac inclamatione illum ex deliquio excitavit, et ista excitatio habebatur a circumstanti-

(4) Ibid. v. 9.

(5) Ibid. c. 11, v. 47.

(6) Ibid. v. 45.

bus pro resurrectione a mortuis. Verum *q̄*. et cum *cl. Bullet* (1) contra hanc commentitiam explicationem memorati deistae oppono sequentia. I. Sorores *Lazari Martha* et *Maria* fratrem suum tenerime amabant: ergo non est verisimile, quod eum vivum monumento includi permiserint, nondum de eius morte plene certae. Amor enim est valde sollicitus et solers in indagando, an amicus vere sit mortuus. II. Post diuturnum deliquium, maxime si ex praecedente morbo sit ortum, vires non nisi tarde recuperantur: sed *Lazarus*, quamprimum e monumento a *Iesu* evocatus est, *statim prodiit adhuc ligatus pedes et manus institis* (2). III. Corpus *Lazari* iuxta testimonium *Marthae* iam foetebat (3), cum *Iesus* eum resuscitaret. At hic foetor, qui ex inchoata putrefactione oritur, iuxta confessionem omnium medicorum est certum ac irrefragabile signum mortis. IV. Iudaei, qui resurrectionem *Lazari* praesentes spectarunt, erant convicti de veritate huius miraculi. Certe nullus legitur dubitasse, an *Lazarus* vere fuerit mortuus: nec ipsi pharisaei, audito hoc miraculo, ausi sunt illud negare, aut dubitando in veritatem illius inquirere; sicut fecerant Ioan. cap. 9 in sanationem hominis a nativitate caeci callide investigando.

90. Verum *INSTAT Rousseau*, et ait: « Fieri potest, aliquem non vere, sed tantum putative esse mortuum. Vide hac de re *Bruhier*. At *Lazarus* iam *quatrduo erat sepultus*. Verum essetne primus, qui vivens sepultus est?... *Iam foetebat*: unde hoc scimus? Soror ipsius id dixit. Siccine: haec igitur tota probatio est. Sed nonne terror

(1) Réponses critiques, tom. 2, n. 52.
(2) Ioan. c. 11, v. 44.

et consternatio eadem verba cuilibet foeminae suggerere potuissent, etiamsi non fuissent vera? *Iesus clamat et Lazarus prodit foras*. Verum attendite, ne male concludatis. De physica enim impossibilitate hic agitur. » Hucusque memoratus deista.

q̄. Et dico, nos domino *Bruhier* facile concedere, quod interdum homines, nondum vere mortui, sepulti fuerint: sed ipse *Bruhier* cum omnibus aliis artis medicae peritis non diffitetur, quod mortualis foetor, qui coeptae putredinis effectus est, certum mortis indicium sit. Iam vero talis erat conditio corporis *Lazari*, cum a *Iesu* resuscitaretur. Foemina quidem erat, nimirum *Martha* soror *Lazari*, quae hunc iam foetere dixit: sed id dixit ad *Iesum*, in quem tanquam verum Messiam et *Filium Dei* vivi credebat (4): ac cui proin mentiri, aut rem dubiam indicare tanquam certam minime fuisset ausa. Praeterea id dixit praesentibus multis iudaeis, qui de veritate huius assertionis ex propria experientia facile convinci poterant. Speluncae enim in quibus iudaei suos sepe sepelire solebant, non erant hermetice (ut loquimur), seu arctissime clausae, sed solum obvoluto quodam magno lapide obteclae, per cuius tenues fissuras odor cadaverum facile et saltem aliquantum evaporare poterat. Quare *Martha*, quae per intervalla temporis ad specum illam ibat, fratris sui obitum destitura, et iudaei eidem speluncae appropinquantes, mortualem odorem defuncti facile advertere poterant.

Porro « *Iesus clamat, et Lazarus prodit foras*. Verum attendite (monet *Rousseau*) ne male concludatis, de physica enim impossibilitate agi-

(5) Ibid. v. 39.
(4) Ibid. v. 27.

tur. » Fatente igitur ipso hoc famoso deista, physice impossibile est, adcoque sine miraculo fieri nequit, ut homo, qui per quatuor aut quinque dies sensibus destitutus iacet, solis alta voce prolatis tribus verbis ad se redeat. Unde idem deista etiam fateatur necesse est, resurrectionem *Lazari* solis his tribus verbis *Iesu* alta voce clamantis, *Lazare, veni foras* (1) factam, fuisse miraculosam.

91. SCHOLION I. Postquam *Lazarus* a Christo ad vitam resuscitatus est, adhuc multos annos vixit. Sic ex antiqua traditione testatur *s. Epiphanius* (2) dicens: *Et ne quis putet Lazarum* (a Christo ad vitam resuscitatum) *statim rursus mortuum esse. Ostendit enim clare sanctum evangelium* (Ioan. c. 12, v. 2), *quod discubuit postea Iesus, et Lazarus discumbebat cum ipso. Sed et in traditionibus invenimus, quod triginta annorum tunc erat Lazarus, quando est suscitatus. Postquam vero suscitatus est, alios triginta annos vixit.*

92. SCHOLION II. Sicut de miraculo resuscitati *Lazari* contra *Woolstonum*, aliosque incredulos multa diximus; ita similiter filii viduae resuscitatio iuxta portam civitatis *Naim* Luc. cap. 7, et resuscitatio filiae *Jairi* Luc. cap. 8 a cavillis incredulorum modo vindicandae essent. Verum, ne praesens lucubratio nostra in nimiam molem excrescat, sufficiat nobis, auctores qui hoc insigniter praestiterunt, indicasse. Tales sunt *Thomas Cerboni* (3), et *Udalric. Reiss* (4).

(1) Ibid. v. 45.

(2) L. 2 adversus Haereses, haeres. 66, n. 51.

(3) Loc. cit.
(4) De veris, falsisque miraculis, part. 2, sect. 4, c. 5, § 154 et 160, scholion 1, et 2.

(5) Ad an. 1755, art. 40, et an. 1759, art. 24.

93. SCHOLION III. Unus ex praecipuis miraculorum Christi Domini impugnatoribus fuit *Woolstonus* scriptor anglicanus, quem supra saepius memoravimus. Is feralem denique exitum habuit. Postquam enim in pluribus scriptis plenis audacia, mala fide, et impietate, maxime vero in sex de miraculis Christi sermonibus, haereseos et incredulitatis suae venenum effudit, eam ob causam anno 1721 expulsus fuit e collegio Sidnaeo, in quo ad gradum doctoratus nunquam admissus fuerat, et a londinensi magistratu captus, iudicatus et condemnatus ut blasphemus, ac magna pecuniae vi multatus: quam cum impar esset solvendo, nec vadem ullum invenerit, in carcerem coniectus anno 1729, ibidem obiit anno 1733, prout praeter alios referunt *Trevolliani* (5), et *Andreas Spagnius Florentinus* (6).

94. QUÆRES XXII. *An paritas sit inter resurrectiones mortuorum, quos Christus ad vitam revocavit, et inter resurrectiones illorum quos ethnici scriptores narrant ope Deorum, aut mediis naturalibus a morte ad vitam revocatos fuisse? q̄*. Nullam prorsus esse hanc paritatem. Nam *Michaël Medina* hispanus, et in synodo tridentina theologus Regius (7), ac *cl. Bullet* (8) fuse et per varia exempla ostendunt, omnes illas resurrectiones ad invocationem falsorum Deorum, aut sine ope supernaturali veri numinis factas, quas scriptores ethnici referunt, fuisse (9), vel meras fabulas et commenta, vel fuisse dumtaxat

(6) De miraculis, tom. 2, p. 5, c. 6, n. 1087.

(7) L. 2, de recta in Deum fide, c. 7.

(8) Réponses critiques, tom. 5, n. 71.

(9) Sic, dum *Plato*, lib. 40 de republica narrat, *Aerum* genere pampylum post decem dies mortis suae integrum, incorruptoque corpore repertum, repente

phantasticas resuscitationes et illusiones diabolicas, vel denique fuisse suscitationes hominis solum apparenter mortui ex. gr. apoplexia, vel syncopa affecti, in quo posteriori morbo plerumque non tantum totius corporis et universorum sensuum stupor incurritur; sed etiam arteriarum pulsus cessat, ita ut talis aeger nihil a mortuo differre videatur. Sunt etiam in foeminis passionibus, quas *histericas*, seu uterales appellant, quibus affectae, mira quadam ratione multum tempus quasi mortuae iacent.

NEQUE DICANT increduli, id ipsum etiam de iis, quos Christus ad vitam resuscitare videbatur, dici posse, videlicet eos non fuisse vere mortuos, sed dumtaxat aliquo ex praedictis morbis stupefactos. Quaero enim ex adversariis: Si ita res se habuit, cur pharisaei, ceterique infensissimi hostes Christi hoc ipsum eius miraculis non opposuere? Cur non apoplecticos, aut syncopicos, vel alio simili morbo correptum dixere *Lazarum* aut eos, qui a Christo resuscitati fuere? Cur, in-

resumpto spiritu revixisse, et quae interim viderat, retulisse, hanc narrationem a prudentia politica *Platonis* fuisse confictam, expresse asserit s. *Iustinus*, philosophus platoniceus in oratione paraenctica ad Gentes; idque inde fit verisimile, quia similibus exemplis, quae apud vulgus ipsa sola narrantium auctoritate vigorem obtinent, *Plato* uti solet frequenter, quo homines vulgari eiusmodi opinione in officio contineat. Neque obest, quod asserat, se non apologum narrare, sed veram historiam. Ipse est enim, qui l. 4 de republica non nunquam utili mendacio populum decipere, licitum existimat. Simile exemplum de puella Romae ab *Apollonio Thyane* a morte ad vitam suscitata narrat *Philostratus* scriptor ethniceus; sed ipsemet de veritate huius rei dubitat, dicens: *An Apollonius in hac puella adhuc signum aliquod vitae deprehenderit, a medicis non observatum (aiunt enim ex eius facie vaporem ascendisse), vel an eam vere a morte ad vitam suscita-*

quam, nisi quia sciverunt, se hac ratione tanquam mendaces et procaces sycophantas, qui rem manifestam calumniarentur, ridendos esse a populo? An, qui in *Beelzebub* daemonia fugare, et rem cum diabolo Christum habere vociferabantur, in mortuorum suscitatione ab ipso facta, naturales morbos, si potuissent, non fuissent caussaturi? Adde, quod naturalis morbi suspicionem omnino excludit, mortuorum suscitationes a Christo nullo adhibito medicamine, sed ad solum eius imperium fuisse factas. Impudentissimum enim esset dicere, naturali virtute *Lazarum*, filium viduae, aut *lairi* pueitam maligno humore consumptam ad se rediisse, Christo nil per opem supernaturalem conferente, nisi quis credat, optimum Servatorem cum morbis et humoribus iniisse pactum, ut tempus, quo essent discessuri, indicarent, atque adeo non prius illorum hominum suscitationem Christum fuisse aggressum, quam consumptos esse humores, qui languorem effecerant, aperte cognosceret: sed et

verit, nec a me, nec ab iis qui praesentes erant, facile decidi potest. Imo ex tota *Philostrati* descriptione, eiusque loquendi modo sat clare patet, cum hanc resurrectionem non credidisse fuisse veram; ait enim: *Haece puella ἰδὼν videbatur mortua, et Apollonius eandem ἀρπύξῃ expergefaciebat, quae vox nil aliud significat, quam excitare a somno.* Addit, ex eisdem puellae, quae videbatur mortua, facie, decidente pluvia, vaporem ascendisse, quod fieri non solet, nisi frigida decidente in corpus adhuc calidum et animatum, ubi proin aqueus humor in evaporationem resolvitur. Denique, ut dixi, addit se non potuisse discernere, utrum vere fuerit mortua, nec ne. Plura de hoc exemplo, in quo increduli multum confidunt, disserit *el. Bullet* loc. cit. n. 71, et nos ipsi supra n. 57. Taceo alia eiusmodi exempla, seu potius fabulas fide resuscitatorum ad vitam, ab ethniceis scriptoribus commemoratas, quae vide ab *el. Medinum* et *Bulletum*, loc. cit. refutatas.

hoc non parvum esset divinitatis indicium, non praemisso examine, nec applicatis prius medicinis, scire exacte, quanta esset humorum periodus, et quando morbus finiretur.

95. SCHOLION I. Resuscitatio hominis vere mortui absque dubio miraculosa est. Id demonstratur ex sensu naturae communi a Deo omnibus hominibus indito (quem etiam constans experientia confirmat) de morte cuiusvis defuncti semper duratura, nisi nimirum miraculum seu miraculosa resurrectio superveniat. Imo resuscitatio hominis vere mortui iuxta communem sensum doctorum est *miraculum stricte tale* (1) superans vires totius naturae creatae, etiam angelicae. Unde s. *Ambrosius* l. IV in *Lucam* cap. 4 circa finem ait: *Liberare a daemone homines, sed in verbo Dei possunt: resurrectionem mortuis imperare, divinae solius est potestatis.*

NEQUE DICAS: Ut mortuus ad vitam revocetur, alio opus non est, quam ut organa hominis destructa reficiantur, et anima in corpus rite organizatum denuo reducatur: sed hoc utrumque angeli seu boni, seu mali virtute sua naturali efficere possunt: ergo resuscitatio mortui non est miraculum stricte tale. *ŕ.* Dist. mai. alio opus non est, quam ut anima in corpus reducatur quomodocumque, neg. ant. ut reducatur ita, ut simul corpori vere et physice uniatur, sicque commercium inter corpus et animam restituitur, haecque proxime expedita fiat ad vitaliter operandum in et dependenter a corpore, conc. mai. et sic dist. min. nego cons. Hanc autem physicam unionem et mutuum commercium vitale inter duas

(1) Vide supra n. 55 et 54.

(2) Loc. cit. nn. 64-72.

substantias, essentialiter diversas, corpus et animam, iuxta constantem doctorum consensum nemo efficere aut restituere potest, nisi *Eus* habens supremum in utramque illam substantiam dominium, et utriusque perfectiones eminenter continens, id est, solus *Deus*; quippe talis coniunctionis et commercii restitutio instar novae creationis est.

96. SCHOLION II. Sicut inter resuscitationes mortuorum a Christo factas, et inter prodigiosas suscitationes aliorum ab ethniceis scriptoribus enarratas nulla est paritas; sic neque comparatio instituenda est inter alia naturae miracula, ex. gr. varias naturales sanationes mortuorum, caecorum, paralyticorum, etc. ab ethniceis vel aliis profanis scriptoribus recensitas, et inter miracula Christi sanantis mutos, caecos, paralyticos, etc.: prout *el. Bullet* (2) fuse ostendit.

97. SCHOLION III. Quod expulsio daemonum ex energumenis a Christo facta non fuerit naturalis, aut mera sanatio melancholiae vel aliorum morborum, alibi (3) demonstrabitur.

98. QUERES XXIII. *Quasnam ineptias et blasphemias increduli contra Christum effutiant, quia daemonibus in regione gerasenorum permisit (Marci c. 5, v. 11-14), ut in gregem porcorum ingressi, illos in mare praecipitarent? ŕ.* Duos solum hac de re disserentes incredulos in medium adducere iuvat. Primus est *dominus de Voltaire* more solito ita iocatus: « Spectaculum iucundum sane, videre diabolos, corpora porcorum ingresses; quos uno impetu, velut inequitantes in mare agunt! Eo autem maiorem id parit admirationem, quod in tota regione gerasenorum,

(3) Vide infra sect. 5, 195-198.

utpote iudaica, nulli alerentur porci: et suillam gustare gravissime interdictum huic genti esset. » *Rousseau* vero ad hoc prodigium exclamat: *Et haec sunt splendida argumenta pro missione Servatoris hominum! Superi! vertigine agor, et nescio ubi sum!* Porro, ut ex dictis et dicendis constabit, horum, aliorumque incredulorum contra praesentem, de quo agimus, Scripturae locum argumenta sunt sequentia.

99. OPPONUNT I. Apud iudaeos nonalebantur porci, cum suillam gustare ipsis gravissime interdictum esset. Quomodo ergo in regione gerasenorum grex porcorum (ut Marc. c. 5, v. 13 dicitur) praecipitari potuit in mare ad duo millia, et suffocari? R. Cum *Cornelio a Lap.* (1) et aliis, atque hanc rem ita explico. *Gadara* (2), ubi haec egit Christus, erat quaedam iudaeorum, vel potius galilaeorum civitas, quae tamen teste *Iosepho iud.* (3) a Caesare data fuerat ad habitandum syris et gentilibus qui porcos alere poterant. Accedit, quod iudaei, qui syris et gentilibus ibi exiguo numero permixti erant, non quidem comedere, attamen alere potuerint porcos, ut eos gentilibus venderent comedendos, vel ad alios honestos usus, ut iis romanos milites pascere, etc.

100. OPPON. II. Christus actum summae iniustitiae commisisset, si ad duo millia porcorum ad gerase-

(1) Comment. in Luc. 8, v. 52.

(2) *Gerasa* et *Gadara* erat vel una civitas habens utrumque hoc nomen, vel potius, (ut *Salmeron* contendit) erant duae distinctae civitates, ambae trans iordanem non longe a se invicem dissitae: unde illa regio ab utraque hac civitate verisimiliter nomen traxit, ut promiscue et *Gerasenorum* et *Gadarenorum* regio diceretur.

(3) L. 17 Antiq. Iudaic. c. 15 *Iosephus* appellat *Gazam*, *Gadaram*, et *Hippone* graecanici instituti urbes, id

nas pertinentium, in mare praecipitari a daemonibus, et suffocari permisisset: ergo haec narratio evangelica vel veritati repugnat, vel sanctitati et sapientiae Christi. R. Et quaero ex adversariis, quomodo Iesus Christus Deus-Homo, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis (4), et cuius sunt creaturae omnes, quomodo inquam, actum iniustitiae committere potuerit? Aut an non iustissimas et sapientissimas causas habuit, brutorum illorum interitum permittendi? Sciebat, se incusari conspirationis et commercii cum daemonibus (5), quos ex corporibus energumenorum expulit: sciebat, quod non pauci alii energumenos non a daemone vel daemonibus obsessos, sed dumtaxat naturali morbo melancholiae perturbatae imaginationis, aliove afflictos dicerent: volebat itaque tam his quam illis manifesto quodam prodigio, ad quod obmutescerent, pudorem inculcere. Praeterea non facit Creator iniuriam praesidenti, inquit s. *Thomas* (6), si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem. Hoc autem salutis studium *Salmeron*, *Cornelius a Lap.*, aliique celeberrimi interpretes agnoscunt in subita et generali ruina immundi gregis facta in regione gerasenorum per invasionem daemonum, ut scilicet Christus Dominus existentiam spirituum hoc modo sensibilem redderet sadducaeis, qui eam negabant (7), et quorum multi

tilium urbes. Et l. 2 de bello iudaic. c. 4, ubi civitates, quibus *Archelaus* imperaret, a Caesare traditas memorat, id ipsum repetit, dicens: *Ceteras autem* (civitates) *Gazam et Gadaram, et Hippon, regno avulsas, Syriae Caesar adiecit.*

(4) Ad Coloss. c. 2, v. 9.

(5) Matth. c. 12, v. 24.

(6) 5. P. q. 44, art. 4 ad secundum.

(7) Aetor. c. 25, v. 8, ubi dicitur: *Sadducaei enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum.*

in Iudaea erant; solebant actiones unius aut alterius daemoniaci, per vim morbi cuiusdam particularis, aut perturbatae imaginationis, etc. explicare; hunc eventum eodem tempore in tam multis bestiis contingentem, nullo quaesito effugio eludere poterant.

101. SCHOLION. Non tantum una, sed multiplex sapientissima ratio seu causa a *Salmerone* (1) et aliis doctissimis interpretibus, ipsisque ss. patribus allegatur, ob quam Christus permisit daemonibus, ut irent in porcos gerasenos. PRIMO, ut ostenderet, se daemonibus dominari, eosque sine sua licentia nihil posse. Unde eos contemnendos esse velut invalidos dicebat s. *Antonius*. SECUNDO, ut patefieret, quanta esset daemonum copia, vis et malitia, et consequenter quanta esset Christi eos expellentis potestas et gloria. Ita s. *Chrysostom.*, *Theophylact.*, *Euthymius*. TERTIO, ut sadducaeorum (quemadmodum praeced. num. dixi) negantium daemones esse, errorem hoc facto convinceret et confutaret; uti etiam s. *Hilarius* in Matth. c. 8 observat. Addit *Rupertus*, teste *Cornelio a Lap.*, gadarenos fuisse iudaeos, ac contra legem aluisse porcos; ac ideo eorundem animalium suffocatione fuisse punitos. Sed hanc rationem paulo ante (2) duce ipso *Cornelio a Lap.* reiecit.

102. COROLLARIUM. *Voltaire* et *Rousseau* supra (3) citati, ceterique increduli, dum memoratum Christi factum daemonibus permittentis, ut in porcos gerasenos irent, improbant tanquam sanctitati et sapientiae Dei-hominis summe contrarium, aperte produnt inscitiam et malitiam suam; ut ex dictis abunde constat.

(1) Tom. 6 de miraculis Christi Domini. Tract. 15, pag. 87.

103. QUARES XXIV. *Quid respondendum deistis, Christum calumniantibus, quod* (Math. 21, v. 19; Marc. 11, v. 12, 13, 14 et 20) *ficulneam carentem fructibus, maledicto suo arefecerit; cum tamen teste ipsomet Marco loc. cit. v. 13 tum non esset TEMPUS FICORUM?* R. Quamvis tum non esset consuetum tempus ficorum, tamen etiam illo tempore nempe verno in Palaestina aliquot ficus pendere ex arboribus solebant; prout illustriss. *Calmet* (4) erudite ostendit. Unde Christus, cum vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Videtur nimirum tum spectasse ad *Michaeae* cap. 7, v. 1 et 2 locum, ubi propheta his verbis queritur: *Vae mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae: non est botrus ad comedendum. Praecoquas ficus desideravit anima mea. Perit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est, etc.* Ita Iesus cum iudaeis: hi similes erant arbori luxuriantem frondium pompam praeferenti, sed bonis fructibus carenti. Virtutem, pietatem, religionem in iis quaesivit; sed loco verae virtutis et religionis nil nisi folia externi cultus et caeremoniarum reperit: et ideo illis maledixit, tanquam frustra occupantibus pinguis terram, ac legis externum dumtaxat apparatus ostentantibus.

Quare ad quaestionem ab incredulis nominalim a *Woolstono* motam, cur Christus cum sciret, ficorum tempus non esse, eos tamen quaesiverit in ficulnea, illique carenti fructibus maledixerit et aridam reddiderit? Respondemus cum patribus et interpretibus (5), Dominum, sicut parabolice multa alia

(2) Vide supra n. 99. (5) Ibid. n. 98.

(3) Commentar. in Marc. c. 11, v. 15.

(4) *August.* l. 2, q. evang. c. 5. l. O-

dixit, sic et parabolice seu figurate hoc fecisse, ut aliquid aliud significaret: mysterium autem, quod significatur, hoc fuit; quod cum synagoga arbor esset a Deo in vinea sua plantata, fructumque in ea saepe quaesisset et non invenisset, merita sit ut arefieret, et veteri lege abrogata extingueretur.

SCHOLION. Alle animo suo infingant deistae alique increduli, illa s. Chrysostomi verba (1), de ficulnea a Christo maledicta ita loquentis: *Ne curiose inquiras, nec dicas: quomodo iuste exciccata ficus est, si tempus fructuum non erat? Illa enim quaestio nugacissima est. Sed miraculum respice, mirare, et miraculorum patratori gloriam refer.*

104. At OPPONUNT adversarii, nullam arboris culpam fuisse, utpote quae anima rationali carens non egit voluntate, verum necessitate naturali sterilis facta est. R. Sed neque arbori poena illata est; sed solum, ut dixi, symbolum et figura erat puniendae synagogae. Apte hanc in rem ait s. Thomas (2) citans modo citatum locum s. Chrysostomi his verbis: « Ad secundum dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit super Matth. hom. 68 (3) cum in plantis vel brutis aliquid tale Dominus operatur, non quaeras qualiter iuste siccata est ficus, si tempus non erat; hoc enim quaerere est ultimae dementiae; quia scilicet in talibus non invenitur culpa et poena, sed miraculum inspice, et admirare miraculi factorem. »

105. INSTAT Woolstonus, et quaerit: Anne invito domino huius arboris Christus potestatem habuerit, ficus ex ea colligendi, aut eam omnino maledicendi? R. Haud du-

rigen. Hilar. Chrysostom. Euthym. Maldon. Menochius, etc.

(1) Homil. 68 super Matthaicum.

(2) 3. part. q. 44, art. 4.

bie Dominus naturae ius habet arborem destruendi, si voluerit, ad salutem et rectam institutionem hominum. Adhibitio enim talis medii ad praedictum finem omnino conveniens est divinae bonitati et sapientiae. Enimvero discipuli Christi ex destructione illius arboris facile poterant et debebant concludere atque ita ratiocinari: aridam reddit Iesus uno maledicto arborem; quam potens igitur, et efficax erit ipsius maledictio in homines peccatores? Ficus tantum certis anni temporibus fructus ferre potest. Homo divina gratia adiutus, omni tempore honorum operum fructus proferre valet: quae si gravi socordia negligat, maledictionem divini iudicis incurret.

COROLLARIUM. Inepte ac impie Woolstonus quaerit, unde Christo permissum fuerit, ut fructus arboris alienae colligeret? Anne is, qui est verus Deus (4) et Dominus omnium, iis uti non potest, quae in aliorum usum concessit? Audiatur s. Thomas loco supra (5) citato ita pergens: « Nec facit Creator iniuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem, sed magis ut Hilarus dicit super Matth. (cap. 21): *In hoc bonitatis dominicae argumentum reperimus: nam ubi afferrit voluit procuratae per se salutis exemplum, virtutis suae potestatem in humanis corporibus exercuit; ubi vero in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damnatio arboris indicavit.*

106. QUÆRES XXV. An Christi in monte transfiguratio fuerit tantum illusio optica, a reflexis radiis solaribus aut lunaribus proveniens?

(3) Vide editionem operum s. Thomae, cum commentariis Caietani, vel aliam.

(4) Vide supra sect. 2, n. 23-55.

(5) Vide praecedent. num. 104.

R. Negative. Antequam autem nostram responsionem pluribus confirmem, observo, quod e grege incredulorum inprimis Woolstonus eam transfigurationem miraculosam fuisse negat, quia, inquit, solum a radiis solaribus ea profluxit. Similiter Horus in suo impio opere (1) eam a reflexo lumine lunae repelit, ac ita ait: « Petrus et Iacobus et Ioannes, qui tum (quando Christus transfigurabatur) praesentes, gravati erant somno, ut Lucas cap. 9, v. 32 expresse ait. Fortasse illis semisopitis luna orta est, et non solum faciem Iesu, sed etiam aliquam nubem admirandum in modum illuminavit. Hunc reflexum, festivumque lunae splendorem poterant discipuli e somno aliquantum evigilantes putare miraculosam Christi transfigurationem; par autem illuminatorum frutetorum putabant esse Moysen et Eliam.... Qui de nocte in montibus aliquando commorati sunt, et illos maiestate venerabiles lunae splendores, quos interdum in nubes aliave obiecta proiicit, viderunt, simulque statum hominis semisopiti rite considerant, facile transfigurationem illam sine miraculo explicabunt. Equidem si Ioannes tanquam oculatus testis in evangelio suo huius rei mentionem fecisset, non adeo de ea dubitarem. At cum reliqui evangelistae tantum ex auditu de eadem testentur, cur de hoc miraculo aliquot semisopitorum hominum illud narrantium dubitare non liceat? » Hucusque larvatus ille Horus.

Verum, ut ad singula respondeamus, illud a Woolstono et Horo quaerimus, undenam a radiis solaribus vel lunaribus transfigurationem, de qua loquimur, dimanasse

(1) Pag. 541 et 542. Plura de Horo vide supra n. 28, et in locis ibi citatis.

(2) Vide supra sect. 2, n. 20-22.

noverint. Profecto, quando aliquid auctoritate testium, qui omnem fidem merentur, quales erant evangelistae (2), semel constitutum est, id ut falsum evincatur, non satis est quempiam ad arbitrium affirmare, rem ita non evenisse, sed vel physice, aut saltem moraliter eam impossibilem fuisse, vel testes aut illusos esse; aut aliis illudere voluisse, vel demum aliorum auctoritate testium, qui aequalem auctoritatem habeant, contrarium ostendere debet. Nihil vero tale sive Woolstonus, sive Horus praestitit: ergo non solum insipientissimos, sed etiam impudentissimos sese demonstrant. Quid enim impudentius fingi potest, quam sanctos evangelistas, qui rem istam tanta consensione narrant (3), aut illusos fuisse, aut nobis illudere voluisse? Neque obest quod s. Ioannes quantumvis testis oculatus nullam huius rei mentionem in evangelio suo faciat. Ut enim iam alibi (4) observavimus, saepe unus historicus factum aliquod reticet quod alii narrant, variaeque possunt esse causae, nobis non raro incognitae, cur unus scriptor de facto quopiam sileat, quod alii referunt, quin ideo de historica veritate talis facti dubitare fas sit. Ceterum etiamsi s. Ioannes de transfiguratione Christi in evangelio suo sileat, de eadem tamen s. Petrus, qui pariter eiusdem miraculi oculatus testis erat, expresse testatur (5) his verbis: « Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce de-

(3) Matthaeus c. 17, v. 1. Marcus c. 9, v. 1. Lucas c. 9, v. 28.

(4) Vide supra sect. 5, n. 76.

(5) II. Petr. c. 1, v. 16-19.